



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis  
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros  
partitum**

**Laymann, Paul**

**Moguntiae**

3. Quotuplex sit conscientia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40716**

2 Conscientia partim se extendit ad opera præterita, si mala, remorsus: si bona, testimonium Conscientiæ 2. Cor. 1. Vel ad futura, dictando quæ faciēda tanquam honesta, & quæ omittenda tanquam turpia.

3 Coroll. 3. Conscientia est actus elicitus à virtute prudentiæ, circa particularia. Synteresis autem continet vniuersalissima principia prudentiæ. Inter synteresin & prudentiam particularem, est media moralis scientia siue iurisprudētia. V. C. In malis promissis fides non est seruanda: Omne iuramentum seruari debet, quod sine dispendio salutis æternæ seruari potest: hæc comparata ad synteresin, conclusiones sunt; comparata ad prudentiam, sunt & ipsa moralia quædam axiomata, recteque viuendi regulæ, 2.

## CAP. III.

*Quotuplex Conscientia.*

1 Conscientia alia est vera, recta, alia est falsa, errans. Est diuisio analogica, quippe cum errans Conscientia propriè nomen Conscientiæ non meretur.

Conscientia recta est, quæ ex practicis principiis secundum omnes circumstantias rectè applicatis, colligitur de agendo vel non agendo.

Porro applicatio illa principiorum interdum vera est tam speculatiua quam practica veritate & tunc emergit conscientia omnimode vera. V. C. Ius suum cuique tribuere, honestum est, coniugi autem ius competit ad coniugii actum, Ergo ipsi suus coniunx rectè & honestè coniugii debitum reddit: hæc autem



autem est mea legitima coniunx, vti verè perspectū habeo, ergo. Interdum applicatio illa est solum practice vera in ordine ad practicam conclusionem seu conscientiam rectè formandam. V. C. Gen. 29. Iacob. Honestum est accedere ad propriam vxorem, atqui hæc est mea vxor, vti prudenter arbitror. Ergo:

Accessus ille erat honestus, quia quiuis vir prudens, spectatis omnibus circumstantiis, ita iudicasset.

Corollar. Licet eiusmodi Conclusio seu iudicium, secundum quid falsa, secundum obiectum scilicet præcisè spectatum, absolutè tamen est vera; 1. quia, vt vidimus per bonum argumentum ex principiis practicis absolutè veris, concludi potest, ex vero autem non nisi verum. 2. quia talis conscientia est regula proxima honeste operationis, ideoque propriè actus prudentiæ virtutis semper ad verum inclinantis.

Conscientia falsa siue erronea dicitur, quæ ex falso siue erroneo practico principio colligitur, V. C. Cultus religiosus est Deo gratus, sed mentiri pro religionis augmento honestum & Deo gratum: atqui hoc mendacium in religionis augmentum cedit: ergo licitum est nunc mentiri; quæ conclusio erronea, quia ex erroneo principio deducta.

Conscientia erronea diuiditur in inuincibilem & vincibilem. Inuincibilis est, cum error moraliter vitari non potest, ideo nec voluntarius, nec ad culpam imputatur.

Vincibilis est, cuius error vitari potest ac potuit, ac proinde indirectè voluntarius & culpabilis. Consequenter voluntas sequendo hanc conscientiam, peccat, inuincibilis autem excusatur.



Actus mendacii v. g. religionis causa inuincibilis aliquo modo bonus est, secundum intentionem finis, quamuis deficiat à rectitudine honestatis, secundum applicationem medii, quæ tamen deficientia propter ignorantiam excusatur. 4.

3 Conscientia 3. alia est suadens, v. c. Virginitatem; alia præcipiens, V. C. non mentendum.

4 Conscientiæ diuisio in dubiam & scrupulosam secundum similitudinem solum est: quia conscientia debet esse practicum iudicium siue assensus siue rationis: at nec dubitans nec scrupulosus determinatè iudicat aliquid agendum: sed ambiguus hæret.

#### C A P. IV.

##### *Quanta sit obligatio Conscientiæ præcipientis.*

1 **A**ssertio 1. Conscientia recta obligat sub peccato. Probatur, quia voluntas peccat si in operatione non sequitur regulam suam: atqui conscientia intellectus rectè præcipiens est regula: Ergò.

Nota. Regula proxima voluntati est conscientia rationis, ducta ex Synteresi, lex diuina remora. 4.

2 Assertio 2. Voluntas peccat, agens contra conscientiam erroneam. Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Ratio. Cum obiectum voluntatis sit bonum, ac malum, prout est in apprehensione rationis, ideo si ratio apprehendat aliquid, ac voluntati proponat, tanquam bonum morale necessarium ac præceptum, aut prohibitum, esto re ipsa præceptum aut prohibitum non sit, (si bonum) voluntas illud bonum respiciendo